

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

In Feso Trinitatis.

velim, quanto his dominator eorum speciosior sit? Sap. 13, 3. Cætera quæ intellectu comprehendere nequis, fide apprehende, & memento, quod hic perfecti non simus: Veniet autem tempus, ubi evademus in vi-
rum perfectum, in mensuram ætatis plenitudo-
nis Christi, Eph. 4. v. 13. & Deum vide-
bimus, non uti nunc, per speculum in æni-
gmate: sed à facie ad faciem, 1. Cor. 13. 12.

Hunc in finem pii Majores nostri, ho-
diernum festum in Ecclesia ordinarunt, ut
occasio esset, anniversarie certo tempore,
doctrinam de Deo Trinuno tractandi, & ex-
pli-
candi. Sicut enim omnes credimus & ba-
ptizamus, sciamus quoque oportet, cui cre-
damus, 2. Tim. 1. v. 12. & quis ille sit, cum
quo stipulationem bonæ conscientiæ iniici-
mus, 1. Pet. 3. v. 21. Neidem nobis eveniat,
quod mulieri Samaritanæ, cui Christus ait:
Nescitis, quid adoretis, Joh. 4. v. 22.

Sed ad ipsum Evangelium accessuri, tra-
stabimus ex eodem:

I. Αρθρωτολογια, sive notitiam nostri.

II. Χριστουρωτια, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

Filli viri sunt mendacium, ait Regius Psal-
tes, Psal. 62, 10. Hoc in Nicodemo verifi-
catum est, qui vir præcipuus erat Hierosolymis, & tamen aberrabat à recta via, nesciens, quomodo in regnum cœlorum perve-
nire posset, donec Christum accederet, ab eo que disceret, quomodo coram Deo ju-
stificaretur & salvaretur. Hoc nobis proponit
ur in prælecto Evangelio, ex quo *Noti-
tiām nostri* discimus, quando perpendi-
mus:

I. *Nicodemi accessionem.* Erat ille Princeps
Iudeorum, qui Synedrio interfuit, & con-
scientiæ suæ rationem probe habuit, ideo
ad Collegas, Christum contemnáturos ait:
Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi
prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid
faciat? Joh. 7. v. 51. Erat quoque Princeps
Doctórum, qui scripta Mosis & Prophetarum
multos per annos explicaverat, & in le-
ge non imperitus erat, propterea Christus
eum vocat, Magistrum in Israël. Sed idem
de eo dici potuit, quod Paulus de Hebræis,
Hcb. 5, 11. Ideo accedebat Christum no-
ctu, ut ab ipso informaretur. Hic erat

1. *Accessus spontaneus.* Nemo ipsum pel-
lexit verbis amicis, sicut Judæi Johannem,
Joh. 1. v. 19. neque munéribus, sicut Balack
Bileam, Num. 22. v. 5. Nemo ipsum vi ad-
egit, sicut Antiochus Judæos, 2. Macc. 6. &
seqq. Sed spontanea devotio ipsum im-
pulit, quia in fide & religione, quam hac-
tenus amplexus fuerat, salutem consequi diffi-
sus est. Sic adhuc hodie Deus spontanea
corda & conscientias requirit. Psal. 110. v. 3.
Quod & à nobis semper observari debet,
qui enim adorat Deum in oblatione,
fusciptur, Sir. 35, 20.

2. *Accessus beatissimus.* Non enim acce-
dit cauponam, ubi potentes sunt ad biben-
dum vinum, Esa. 5. v. 21. Multo minus alia
loca suspecta, ubi noctu convenitur, Joh. 3,
20. sed Christum, de quo multa hac tenus
audierat, à quo discere cupit, quomodo hæ-
res æternæ salutis evadere possit. Sequamur
ipsum in hoc proposito, ipse enim Christus
ad se vocat nos, Matth. 11, 38.

3. *Accessus nocturnus.* Metuit enim Col-
legas suos, ne ex ipsorum Synagoga ejicere-
tur, Joh. 12, 42.

Factum hoc ex imbecillitate humana, &
in

in medelam nostram scriptum est , non in sequelam ; Qui me erubuerit , & meos sermones , hunc filius hominis erubescet , cum venerit in maiestate sua , & Patris , inquit Christus . Luc . 9. 26.

Quod si examinaveris te , juxta tria haec membra , nisi Christiane , deprehendes , multis quidem esse hodie , qui Nicodemo similes sunt in metu : at dissimiles in diligentia , quam in via vera indaganda adhibuit ?

Nicodemus non coacte sed sponte accessit . O quot inveniuntur , quia ad nuptias amice invitati , venire renunti ? Matth . 22 . v . 4 . Quot eorum ? qui ad legis conciones & minas aures obturant . Luc . 14 . v . 24 . Propterea quoque condemnatio eorum eo gravior erit . Joh . 5 . v . 22 .

Nicodemus Christum adiit , ut ab eo informaretur , quia ex concionibus ejus haecenus didicerat , quod Prophet a à Mose prædictus esset . Deut . 18 . 15 .

Hoc multis hodie non arridet , quia via meretricis . Prov . 7 . 8 . aut spaciovia , quæ ducit ad perditionem . Matth . 7 . 13 . incedere malunt , quam Christum se qui , & omnes Sanctos , qui per multas tribulationes intrant , in regnum Dei . Act . 14 . 22 .

Nicodemus noctu Christum accessit , non tantum ideo , quia propter Collegas suos interdiu eundem adire non licebat ; sed metuebat quoque authoritatis suæ diminutionem , si alii experientur , ipsum præcipuum quandam Rabbi , & Magistrum in Israël , à Christo viam salutis perdiscere velle .

Hoc merito improbatur , juxta illud : Credidi , quod locutus sum , Psal . 116 . v . 10 . Qui verus Christianus & Christi discipulus esse gestit , non modo recte credere , sed & ore confiteritenetur , 1 . Pet . 3 . v . 15 . Rom . 10 . v . 9 .

Quicquid autem hujus deliquit Nicodemus , id postea tempore sepulturæ Christi restituit , ferens mixturam myrræ & aloes , quasi libras centum . Joh . 19 . 39 . Ut frustra sint hypocritæ , qui exemplum ejus prætendent . & eo ipso hypocritis suam palliare nituntur . Apoc . 3 . 15 . Potius observare debent : Abi tu . & fac similiter . Luc . 10 . 37 .

II . Nicodemi confessionem , sic enim Christum alloquitur : Rabbi , scimus , quia à Deo venisti Magister ; nemo enim potest hæc signa facere , quæ tu facis , nisi fuerit Deus cum eo .

Hic Nicodemus Collegas suos & adföhores Synedrii prodit , quod quamvis in conscientia convicti sint , Christum illum ipsum esse , de quo Prophetæ prædixerint , tamen præ odio & invidia , ut Messiam agnoscerent nolint .

Idem adhuc hodie contingit . Quilibet seipsum probet modo , an hic exemptus sit . Quoties peccata & flagitia ex suggestu arguuntur , quod eam consuetudinem abeant ? Interea tamen delinquentes , malum manuum suarum dicunt bonum , Mich . 7 . v . 3 . gloriantur in malitia sua , Jer . 11 . v . 15 . & peccatum suum quasi Sodoma prædicant , Elsa . 3 . v . 9 . Nemo non fateri cogitur , quod iuste peccata reprehendantur , nemo tamen ab ipsis abstinere vult , quin potius iniquitatæ sunt viæ ipsorum omni tempore , & auferuntur judicia Dei à facie ipsorum , Psal . 10 . v . 5 . dicentium : sermonem quem locutus es ad nos , in nomine Domini , non audierimus ex te . Jer . 44 . v . 16 .

Quid dicebat Episcopus Salisburgensis , in Comitiis Augustanis , Anno 1530 ? Scimus , multis in Ecclesiam irrepsisse abusus , sed non ferendum est , ut Monachus fiat reformator , & pacem turbet .

Quia

In Feste Trinitatis.

224

Quia vero per nudum scire, nemo potest in ccelum venire, 1. Cor. 8, 1. ideo non tantum sciamus, quid bonum sit, & quid Dominus requirat a nobis, Mich. 6, 8. sed operam demus, ut in opere ipso demonstremus. Ne multis vapulemus, Luc. 12, 47.

III. Nicodemi exceptionem. Ait enim: quomodo potest homo renasci, cum sit senex? Quomodo possunt haec fieri?

Merito ille rationem suam in obsequium Christi captivare debuisset, & verbis ejusdem fidem adhibere: sed mavult mysteria haec, quae tamen capere non poterat, ratione sua metiri, ideo reprehensione Christi notatur: Tu es Magister in Israel, & haec ignoras? Amen, Amen, dico tibi, quia quod scimus, loquimur & quod vidimus &c.

Hic probes velim te, annon & ipse in rebus fidei nimium scrupulosus quandoq; fueris, & plura scire desideraveris, quam Deus tibi in verbo suo manifestavit.

Exceptio haec fieri potest dupliciter. Primo ex corde credente, ut discamus, sicut Maria ad Angelum ait: Quomodo fiet istud? Luc. 1, 34.

Secundo ex incredulitate, quando verbum Dei in dubium vocatur, quia cum ratione non concordat. Hoc Augustinus vocat, *Venenum fidei*, quae est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Heb. 11, 6.

Noli proinde querere diffidendo sicut Ariani, qui Christum filium Dei agnoscere nolunt, & propterea querunt: Quomodo Deus filium haberet, uxore destitutus. His Ambrosius respondet: *Licet scire quod natus, non licet discutere, quoniam natus sit.* Generationem ejus quis enarrabit? Esa. 53, 8. Eodem modo querunt Anabaptista, qui vim salutiferam Baptismi infringere sat-

gunt: Quomodo aqua peccata abluerepotest? Cum tamen mera aqua ex se non faciat, sed verbum Dei cum aqua coniunctum. Unde Petrus: Aqua nos salvos facit, at non est depositio sordium carnis, sed stipulatio bona conscientiae erga Deum, 1. Pet. 3, v. 21.

Idem faciunt Calviniani, qui presentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cena negantes, itidem querunt: Quomodo nobis Christus carnem suam ad edendum, & sanguinem suum ad bibendum exhibere potest? non perpendentes Domini num possit superabundanter facere, quam petimus, aut intelligimus Eph. 3, 20. Facientem cogita, & definet esse mirabile, vel saltēm incredibile non erit, ait Hugo Victorinus. Esa. 40, v. 26.

Noli querere ambigendo, sicut Zacharias Baptista parens, Luc. 1, 18. Noli dijudicare per dissidentiam, sed confortare fide, dans gloriam Deo. Rom. 4, 20, 21.

Noli denique querere contradicendo, instar Equitis Samaritani, 2. Reg. 7, 2. Apud Deum siquidem non est impossibile ullum verbum, Luc. 1, v. 37.

Sed salutarius Quomodo tuum adhibere poteris. Quando enim animarum Pastor clamat: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, Matth. 3, 2. Potes interrogare cum custode carceris: Quid me oportet facere, ut salvus siam. Act. 16, 30

Similiter quando diabolus te ad peccata instigat, ut carni indulgere, & anima stigma inurere debeas, querere poteris: Quæ conventione Christi ad Belial? 2. Cor. 6, 15.

Pari modo si peccasti, & diabolus te ad desperationem adigere gestit, iterum querere potes: quomodo desperem? Nonne Deus misericors est, & bona specie fecit filios suos

Tuos; quoniam dedit locum in peccatis pœnitentiae? Sap. 12, 19. Neminem enim ejicit foras, qui eveniet ad eum. Joh. 6, 37.

De S. Augustino memoratur, quod aliquando Hippone egressus, juxta littus maris obambulans, scrutando SS. Trinitatis mysterio impensis inducerit, cui puer eximia forma apparuerit, qui in eodem littore sedens, modico cochleari aquam è mari haustram magno conatu scrobiculo infuderit. Cujus conatum demiratus, quid tam serio ageret quæsivit. Ille virili constantia totum se mare isti foveat infundere velle, respondit. Augustinus eum laterem lavare & frustra laborare, dixit. Cuipuer, ut Angelum esse intelligeret, constanter respondit. Tu funiculo ingenii tui abyssum sanctissimæ Trinitatis metiri cogitas: at prius, quam hoc effectum dederis, ego hac fossula universum mare conclusero. Et sic dispatriuit.

Hinc discimus, quod mysteria divina ratione perscrutari minus debeamus. Scrutator enim Majestatis, opprimetur à gloria. Proy.25.v.27.

De Secundo.

Transibimus nunc ad alteram partem
Xe^ρωνωσιαν, sive notitiam Christi
meditaturi. Hic nobis in Evangelio hoc
nostro contemplandus proponitur:

I. *Tanquam celestis Doctor veritatis.* Hoc elogio eum ma>tit Nicodemus, inquiens : Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister. Respicit hoc ipso promissionem Dei de magnō illo Propheta, Deut.18.v.15. Ille enim Christus erat, teste populo, Luc.7.v.16. Vere magnus Propheta , potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo, Luc. 24.20. Deus enim dederat ei eruditam lin-

guam, Esa. 50. v. 4. Ideo docuit sicut auctoritatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Matth. 7. v. 29.

Magno hinc afficimur gaudio. In hoc mundo enim intellectus noster adeo occensus est, ut non percipiat ea quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor. 2. v. 14. Sed Christus docet nos utilia, Esa. 48. 17. non quidem immediate, ut olim: sed mediate per ministros suos, quibus dedit verba sua in ora eorum Jer. 1. 10. quæ loquantur. Mat. 10. 10. Luc. 10.

Interea est & manet Magister ille unus,
Matt. 23, 10. & pastor, qui dat consilium re-
liquis Magistris, Eccles. 12, 11. Hinc describi-
tur in Scripturis, quod sit:

1. *Doctor sapientissimus*, in quo sunt omnines sapientiae & scientiae thesauri absconditi, Col. 2, 3. Hinc quæsiverunt Judæi: Unde huic sapientia hæc? Matt. 13, 54. Sed nos non opus habemus, ut quæramus, scimus enim, quod à Deo factus sit sapientia, 1. Cor. 1. v. 30.

Quando itaque mundus existimat, se astute omnia aggressurum, ut persequatur gregem pusillum: Et credentium, non est, quod metuam, comprehendit enim sapientes in astutia eorum, Job. 5.13, imo sapientia eorum coram ipso est stultitia, 1. Cor. 3.19. Ut frustra consilium ineant, Esa. 8. v. 10.

2. Doctor veracissimus. Est enim veritas ipsa Joh.14. v.6. & sermo ejus veritas est, Joh 17,17 hinc vocatur testis fidelis & verus Apoc. 3,14. qui ad hoc in mundum venit, ut testimonium perhibeat veritati. Joh.18.

Maneamus in sermone ejus, & vere discipuli ejus erimus. Joh. 3, 31, 32.

3. Doctor fidelissimus, qui omnia, quæcunque audivit à patre suo, nota fecit nobis, Joh. 15, 15.

Ab ipso discere possumus artem orandi,

Ff

ad